

THOMÆ^{ae} (HEMERKEN) A KEMPIS
CANONICI REGVLARIS ORDINIS S. AVGVSTINI

OPERA OMNIA

VOLVMINIBVS SEPTEM EDIDIT ADDITOQVE
VOLVMINE DE VITA ET SCRIPTIS EIVS DISPVTAVIT

MICHAEL IOSEPHVS POHL

VOLVMEN SEXTVM

TRACTATVVM ASCETICORVM PARTEM SEXTAM
HISTORICORVM PRIOREM COMPLECTENS

SERMONES AD NOVICIOS
VITA LIDEWIGIS VIRGINIS

CVM ADPROBATIONE REV. ARCHIEP. FRIBVRGENSIS

FRIBVRGI BRISIGAVORVM
SVMP TIBVS HERDER

TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII

MDCCCCV

VINDBONAE ARGENTORATI MONACHII S. LVDOVICI AMERICAE

THOMAE HEMERKEN A KEMPIS
CANONICI REGVLARIS ORDINIS S. AVGVSTINI

SERMONES AD NOVICIOS
VITA LIDEWIGIS VIRGINIS

ADIECTIS EPILEGOMENIS ADNOTATIONE CRITICA
INDICIBVS TABVLIS PHOTOGRAPHICIS

EX AVTOGRAPHO EDIDIT

MICHAEL IOSEPHVS POHL

FRIBVRGI BRISIGAVORVM
SVMPTIBVS HERDER

TYPOGRAPHI EDITORIS PONTIFICII

MDCCCCV

VINDOBONAE ARGENTORATI MONACHII S. LVDOVICI AMERICAE

DE VIGILIIS NOCTVRNIS CONTRA
IMPVGNATIONEM SOPORIS.

SERMO VI.

Simon dormis? Non potuisti una
hora vigilare mecum? Vigilate et
orate: ut non intretis in temptationem.
Vox ista dilecti fratres vox est caelestis
Regis et Salvatoris nostri Iesu Christi:
qui hortatur milites suos ad vigilandum
in castris contra temptationes diaboli¹⁰
adversarii generis humani. Quod ergo
Dominus vigilanter ad beatum Petrum
et ad reliquos discipulos loquitur: hoc
etiam indubitanter omnibus nobis dicit.
Igitur custode media nocte veniente et¹⁵
excitante: mox ad sonum cymbali evigi-
lemus; et ad ingressum chori devotis
precibus nos praeparemus: ac caelesti
Sponso ardentibus faculis occurramus.
Studeamus carissimi viriliter abiciere²⁰
gritiam corporis: et somnolentiam ab
oculis nostris. Extollamus manus in
caelum, ad laudandum Creatorem nostrum
vocibus laetis et mentibus puris; ne
forte praevaleat contra nos callidissimus²⁵
hostis: et derideat quosdam oscitantes,
quosdam parum cantantes, quosdam vo-
cibus discrepantes. Pessimus aliquorum
usus est et utinam non multorum quod
dicere pudet; qui in dormitorio seu in³⁰

lecto diu phantasiando vigilant: et in ec-
 clesia et in choro prae taedio devotionis
 dormitant. Hi sibi et aliis frequenter
 nocent; nec Christo strenue militant:
 5 neque pro benefactoribus et tribulatis
 fideliter orant. Valde enim graviter Deum
 offendunt, pigre surgendo, tarde saepius
 veniendo; tepide psallendo, verba corrup-
 pendo, crebrius oscitando, vage circum-
 10 spiciendo: male advertendo, neglegenter
 inclinando, de longitudine psalmorum
 attaediando, et ad finem festinando. Gau-
 dent ad sonum refectorii, horrent signum
 capituli; properant ad fabulas, tarde in-
 15 trant ad cellam: languent ad opera, fer-
 vent ad fercula bene parata. Omnia ista
 sunt signa parvae devotionis, magnae in-
 gratitudinis: et vehementis confusionis.
 Heu non est timor Dei ante oculos isto-
 20 rum; non amor Dei in corde, non laus
 eius in ore: sed fraus in voce, et tepor
 in actione. Vbi est Deus, ubi angeli;
 ubi sancti Dei omnes? Vbi praelatus ubi
 custos ubi cantor; ubi lector, ubi susci-
 25 tator? Omnia evanescunt ante oculos
 dormitantis. Evigilate iusti, et nolite
 peccare: ait apostolus. Vigilate et orate
 ait Dominus: ne temptet vos satanas
 prae inopia spiritus pigritantes. Ipse
 30 etenim circuit die ac nocte quaerens
 quem devoret; qualiter decipiat simpli-

cem, devotum distrahat: et quietum perturbet. Laetatur valde si aliquis non cantat aut male legit; si clausis oculis dormitat: si vagis oculis circumspicit et se ipsum negligit. Adest cito ut verum 5 ex ore torpentis rapiat: et in sacculum suum verborum fragmina iactet. O frater aselle de genere dormitanorum et numero fatuarum virginum, quarum lampades in nocte extinctae leguntur: si 10 Deum non times, nec angelos revereris, nec fratres tuos scandalizare erubescis; quare diabolum tibi insidiantem non metuis, qui omnia verba neglecta et imperfecta in charta sua caute describit? Sic- 15 ut enim angeli sancti devotas Deo preces offerunt, et ferventer cantantes diligunt et commendant; sic satanas cum suis aemulis insidiatur orantibus, ut distrahat et impediatur concorditer psallentes: 20 et habeat non pauca contra eos de quibus eos accuset et torqueat. Sed quia tam immanem raptorem, tam astutum circatorem, tam strictum exactorem, tam durum accusatorem, et severum torto- 25 rem non attendis nec formidas, nec futura mala et infernaliam tormenta raro aut parum perpendis; ideo torpescis et dormitas: et tamquam mortuus in sepulchro iaces et taces. Non est labor tam gra- 30 vis, nec dolor tam acerbus: quin levior

fiet comparatione ignis infernalis. Heu
 quid facies in mortis articulo; diabolo
 occurrente cum vultu taeterrimo et hiatu
 furioso? Ubi tunc amici fideles; ubi
 5 epulae splendidae et omnes mundi ho-
 nores? Vis haec terribilia evadere; et
 daemones non timere? Surge vigila,
 ora: canta, lege labora. Ad iniurias tace,
 laesiones sustine, despectiones dilige:
 10 honores sperne, peccantibus indulge.
 Non recedant ab oculis tuis luctus dam-
 natorum, ingens clamor daemoniorum:
 gravissimus discessus a praesentia Dei
 et iucunda societate sanctorum. Times
 15 plerumque videns incendium fornacis ar-
 dentis: expavescis fulgura et tonitrua;
 horrescis tempestates, et frigora valida:
 et vix audes dormire et manere in cella.
 Ex quo audisti et legisti multos extinctos
 20 subito casu et languore; cur non metuis
 similia tibi posse accidere? Scito gra-
 viora post mortem cruciamina imminere.
 Pone in mente tua quae naturaliter hor-
 ribilia videntur, scilicet ollam succensam
 25 pice plenam, sulphure foetentem; attende
 leones frementes, canes mordentes, ser-
 pentes saevientes: bufones corro dentes,
 dracones glutientes; et vinces citius tur-
 pissima vitia ad cor tuum maculandum
 30 per diabolum tibi immissa: fugabisque
 longius a te torporem mentis, somno-

lentiam corporis, et desiderium vanissimae laudis. Dico tibi quod longae vigiliae, longae lectiones, horae diurnae, silentium labor et ieiunium, breve faciunt purgatorium: et magnum inducunt gaudium, post trium vel quatuor horarum spatium. Mirum est quod tam faciliter taedium sentis in choro cantando legendo: et non attaediaris diutius fabulando, aut rumores saeculi audiendo. 10 Intellege istud esse diabolicum factum: qui nititur omni modo divinum impedire servitium; et retrahere te ab ecclesia et a conventu psallentium: ut habeat socium in inferno perpetue comburendum. 15 Tunc clamabunt et ululabunt prae nimio calore et dolore: qui modo Deum non laudant corde et ore cum ingenti fervore. Si te delectat cum amico colloqui pro qualicumque solacio capessendo; quanto 20 magis festinare debes et anhelare ad divina audienda: ut loquaris cum Deo in hymnis et canticis omnibus aliis curis et imaginationibus praetermissis. Sed quia saepe plus movent facta quam 25 verba: adicienda sunt in fine sermonis exempla aliqua, instructionis gratia. Imitare bona quae placent: cave mala quae offendunt.

